

que erit pinguiissima & postmodum proicient in aquam. & erunt cum uno fune ad nauiculam ligata. tunc erigent uelum & ibunt tota die uagando per altum mare huc & illuc. & quecumque transeunt pinguedo que est in salamora relinquit sicut unum
95^r° limitem super aquas. qui apparet ex ipsa pinguedine. & si contingat quod transeant per locum ubi balena sit uel aliquo modo balena ipsa sentiat odorem pinguedinis tunni quod superueniat ad locum unde nauicula transiuerit. ipsam secundum odoratum quem de tunno percipit sequitur tramitem illum per centum miliaria si tantum distaret nauicula ubi esset tunus. & hoc facit ex auiditate atingendi ad tunnum. Et cum peruenerit ad nauiculam ita quod homines ipsam uideant proiciunt ei dua uel tria frustra de tunno & statim cum comederit facta est ebria ueluti homo ebriatur uino. tunc aliqui ex eis ascendunt super ipsam & habent palum unum de fero barbatum in capite ita quod si infingitur. propter barbam eueli non potest quem palum unus ponet super capud balene & alius cum uno maleo de ligno percutiet super palum & statim afiget ipsum totum in capite balene. nam balena propter ebrietatem quasi non sentit homines qui super eam stant. ita quod possunt facere quidquid uolunt a capite uero superiori ipsius pali est ligata una funis grossa & bene per trece[n]tos passus longa & in quolibet capite .l. passuum ipsius funis ligata est una boticula. & unus asser. supra boticulam firmatus est unus periellus & a parte inferiori unum contrapondus ut boticula non circumuoluatur scilicet quod perielus rectus existat. & ultimum capud funis ligatur ad
95^v° quamdam barchetam quam secum habent & in illa barcheta erunt aliqui ex ipsis ita quod cum balena se senciens vulneratam se uertit in fugam & qui super eam erunt ad fingendum palum remanentes super aquam natant ad barcam & intrant in eam tunc proicitur in aquam una ex boticulis cum penello & sic habet passus .l. de fune & dum ipsa balena submergitur & fugit trahit barcam post se ad quem ligata est funis & si uideatur nimium superare in subtraendo tunc prohibetur alia boticula cum alio penelo quia non potest boticulas ipsas trahere sub aqua & sic tantum fatigatur ipsas trahendo post se quod finaliter debilitatur propter uulnus & moritur & nauicula insequendo uadit ipsam ad aspectum penellorum & cum mortua est trahunt iuxta nauiculam & postmodum ipsam cunducunt ad eorum insulam uel ad aliquam sibi uicinam ubi eam uendunt & bene trahunt de una ualorem mile librarum & per hunc modum ipsas capiunt/ & quandoque/ habent insuper in dicta insula panos bonbicos in magna quantitate & alia mercimonia multa & precipue pises salitos & uiuunt de riso lacte & carnibus quia alias segetes non habent uadunt omnes nudi ad modum & similitudinem illorum de Jndya qui adorant ydolla & ad hanc insulam ueniunt multe naues cum multis mercimonijs & mercationibus que uenduntur ad hanc insulam & portant etiam
96^r° secum de his rebus que sint in insula de quibus secuntur magnum profectum & *nota*